S21

ICONOGRAPHIA
VISIBILIS GLORIÆ:

ICONOGRAPHIA VISIBILIS GLORIÆ,

SEV

BREVIS DESCRIPTIO PICTURÆ,

Qua,

In Templo S. Alexandri Mediolani, eiuſdem Martyris, & SS. Omnium, Gloria expreſſa eſt à Cler. Reg. Barnabitis.

ÆXTEMPORALE OPVSCVLVM P. D. Demetrij Supensij.



MEDIOLANI, MDCCI.

Typis Ioſephi Pandulfi Malateſtæ.

Superiorum permiſſu.

ILL.^MO DOMINO
COMITI
IVLIO ANTONIO
DE ALEXANDRIS

D. DEMETRIVS SVPENSIVS Felicitatem.

EXiguum, & inelaboratum Opuſculum, quod conuenire Te non veretur, ILLME DOMINE, tenuitatem ſuam excuſat magnitudine argumenti. Breuibus quippe arctatam folijs com-

plectitur illius Epitomen Gloriæ, quæ beata, æterna, immensa, omnem excedit ingenij nostri conatum. Vt autem quantulamcunq; hanc illius Iconographiam Tibi offerrem, suasit eximia Pietas Tua, & singularis in Congregationem nostram Humanitas exegit; quarum illa solam spectabit materiæ dignitatem, hæc animum offeren-

tis.

tis. Accedit maxima libelli commendatio, Sacrũ Alexandri Nomen, quod gerit in fronte. Nam præter communem Patrię genium, quæ Thebæum Martyrem veneratur, vt præsidium suum, ac decus, Tibi peculiari titulo piam in eum propensionem insinuat Appellatio Gentilis; cùm Tui, ac Tuorum meminisse non possis, quin memineris Ale-

xandri; nec dubito, quin idem amantioribus oculis animos ab alto reſpiciat cum Nominis affinitate concordes. Studia itaque noſtra non probare, non poteris, quæ ad amplificandum Patroni noſtri cultum contulimus, ita exornato eiuſdem Templo, vt conuenirent Sanctitas, & Magnificentia. Quod ad me attinet, quæ ad exprimendam colori-

bus S. Martyris, Omniumque SS. Gloriam, excogitaui pingenda, nunc eadem ſummatim deſcripta paginis committo; quanuis parum felici vtrobiq; ſucceſſu; quàm enim illic operis merito impar Idea, tam ibi ſtylus inferior. Quidquid igitur hìc meum eſt, vmbram puta, indicem Luminis immenſi. Hoc ſanè multò audacius, quàm Cælum ra-

dio

dio metiri, aut ſtella-
tos Orbes in paruum
contrahere vitrum. Aſt
vt nihil mereatur, ni-
hil aliunde obtineat
laudis, tenuiſſimus in
maximis labor, cumu-
latiſſimè implebit Au-
ctoris vota; ſi, dum
Tuis prodit Auſpicijs,
palam conſtiterit, mi-
nuſculam eſſe illius ob-
ſequij notam, quod
cum vnanimi Noſtro-
rum conſenſu Tibi pe-
renne profiteor. Vale.

DON

DON CONSTANTIUS
SACCUCCIUS
Congregationis Cler.Reg. S. PAULI
Præpositus Generalis.

CUm librum cuius titulus est ICONOGRAPHIA VISIBILIS GLORIÆ, à Patre D. Demetrio Supensio Congregationis nostræ Presbytero Professo compositum duo eiusdem Congregationis nostræ eruditi viri, quibus id commisimus accurata lectione, & graui iudicio recognouerint, & posse in lucem edi probauerint; Nos, vt Typis mandetur, quantum in Nobis est, facultatem facimus. In quorum fidem, has fieri, sigilloque nostro muniri iussimus.

Datum Romæ in Collegio nostro SS. Caroli, & Blasij die 28. Maij 1701.

D. Constantius Saccuccius
Præpositus Generalis.

IMPRIMATVR.

Fr. Ioseph Maria Reina S.Th.Mag.Ord. Præd., ac S.Offitij Mediol.Commiss.

Carolus Michael de Constantinis Can. Theol. S. Nazarij pro Emin. D.D. Ioseph Card. Archinto Archiep.

Angelus Maria Maddius pro Excell Senatu.

PRI-

PRIVILEGII SVMMA.

Excellentissimi Senatus Mediolanensis Diplomate cautum est; ne quis Opera P. D. Demetrij Supensij, infra decennium à prima eorum editione computandum, sine facultate Auctoris imprimat, aut imprimenda curet, alibiue impressa in hoc Dominium importet, aut venalia habeat, aut vendat, sub pœnis in eodem Diplomate expressis.

Mediol. die 18. Augusti 1698.

AD

AD LECTOREM.

MAgnum in ſpeciem breuiſſimæ Scriptionis titulum inconſultæ oſtentationis, ne damnes, amice Lector; quaſi arcana verba ſcrutari velit, eaque aßumat ad viuum deſcribenda, vt penè ſpectari à legentibus poſſint, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. *Pictam coloribus Effigiem Gloriæ, atque adeò mortalibus aſpectabilem, ſuſcipit explicandam. Neque id fruſtra: nam quanuis ea ſit Artis in Imaginibus*

vir-

virtus, vt animari, viuere, ſpirare, moueri videantur, certè ſunt elingues: nec ſemper ſatis intuentibus patent; niſi adſit, qui tacentium ſenſa depromat. Supplet hic itaque ſtylus linguæ officium; vt qui picta viderit, intelligat viſa. Tunc verò maximè indigent luce literarum Opera Picturæ; cum vel Hiſtorias exhibent non adeò vulgares, & omnibus notas; vel in myſticis quibuſdam Figuris aliquid aliud intelligendum latet, præter id, quod oculis offerunt; nec tam facile eſt, aut curſim ſpectantibus vacat,


cat,

cat, indagare quid ſignent. Cùm igitur Templum hoc noſtrum, iam Structura magnificum, nunc etiam Picturis illuſtre, non ſolum Ciuium, ſed etiam Aduenarum frequentiam inuitet, quotquot ex alijs Prouincijs in hanc ampliſſimam Vrbem conueniunt, quæ in eo pinximus, ad Sancti Martyris Alexandri, Sanctorumque Omnium Gloriam ſpectantia, operæ pretium cenſuimus breui Deſcriptione explicare; ne otioſi Spectatores interſint, nilque aliud mirentur in tanta Sacrarum Imaginum copia, præ-

ter

ter colores, & Artem Picto- ris. Ideò vtimur lingua pluribus Gentibus communi, & pressa scribendi ratione, ad præsentem vsum accommodata. Si annuerit Deus, non deerit alias Calamus Picturæ Interpres, qui hæc eadem, Nostratibus legenda, fusiùs describat. Sed iam prolixius erit Opere Proœmium. Habe tu interim, mi Lector, compendiariam Graphidem Patriæ Cælestis; quam si amas (quid ni verò ames?) hanc etiam tantulam illius Iconem non nisi amanter excipies. Vale.

Vn-



Vndenam Titulus Templi, & Pictura Argumentum.

CAP. I.

AUgustam hanc Templi molem scito ex horridi Carceris angustijs enatam. Ubi nunc D. Alexandri, & Beatorum Cælitum, memoriam splendida religione veneramur, ibidem Sanctitas olim iacuit reorum sordibus impiè damnata. Subterraneus recessus hic fuerat (Zebediam vocarunt) vbi & Ferarum cauea,

& ſtabulum Iumentorum, & Martyrum captiuitate Carcer conſecratus. Hunc reddidit illuſtriorem D. Alexander, Vexillarius Thebęæ Legionis, cuius notiſſima eſt in Eccleſiaſticis Annalibus Hiſtoria. Is quippe Maximiani iuſſu ſemel, atque iterum, cum aliquot ſuis Commilitonibus, huc detruſus in vincula, ſtrenuè cum impietate pugnauit, atrocia quæque conſtantiſſimè perpeſſus; donec piorum opera illinc dilapſus, poſt imbutas Chriſtianis Myſterijs finitimas gentes, denique Bergomi Euangelicæ Veritatis Magiſter, & Aſſertor, eandem ſanctè, mirèque geſtis comprobatam ſanguine confirmauit.

uit. Illìc truncato ante Idolum capite cædi potuit, non flecti; & de profana superstitione, in quam viuens, moriens, inuictus conflixerat, mortuus etiam, relicta Populis vitæ doctrina, triumphauit. Extincto postmodum Maximiano, vbi subsidit atrox illa in Christianam Religionem tempestas, pij Mediolanenses, euerso Carcere Zebedęo, supra illius ruinas Ædiculam D. Alexandro erexere, quæ subinde in ampliorem Ecclesiam versa inter vetustiores Mediolani Parœcias à rei patriæ Scriptoribus memoratur. Hanc sub finem decimiquinti à Christo nato seculi curæ nostræ commissam pau-

lò poſt demoliti ſumus, auguſtius Templum exorſi ; quod primi Patroni ſui, Sanctorumque Omnium tutelæ commendatum (vt Frontis inſcriptio docet) denique in præſens decus excitauimus . Vt autem ad elegantiam , ac pretium Architecturæ par etiam Picturæ ornatus accederet , deſumptis ab inſcripto titulo argumentis , Diui Alexandri , aliorumque Cęlitum Gloriam ita per partes expreſſimus ; vt præcipui Tutoris geſta, & triumphum , princeps Sacellũ, & Chorus continerent, cæteris Beatorum Hierarchijs in alia Templi membra diſtributis : atq;adeò ſpectandũ collegimus totius Empyrei compendium .

Tem-

Templi Structura.

CAP. II.

MAgnitudine, ac Operis merito, ſpectabile ſecus Ædificium ipſe præterea ſitus, & vicinia commendat. Quippe in frequentiſſima poſitum Urbis regione per plures exitus viarum conuenientibus amplam aperit Frontem, Architecturæ magnificentia, inſignem: nunc verò maximè, poſtquam acceſſit noua Scholarum ſubſtructio, contigui Templi maieſtati reſpondens: nam explicata iam latiùs ante illarum aditum area, huius etiam proſpectus liberiùs patet. Tres Ianuæ, quæ per extantes gradus adeuntes exci-

piunt, Italico Porphyrete marginantur. Fenestras, & Statuarum loculamenta marmor coronat. Mediæ, quæ maxima est, Ianuæ signum imminet Martyris Alexandri, qui socijs Thebæis hinc Zebedæum Carcerem, inde Templum ostendit, quasi futuram suæ captiuitatis gloriam præsagiat. Impendentem Arcum proceræ sustinent, striatæque Columnæ. Frontem hucusque prominens Corona definit, donec euehatur ad apicem. Maximæ Testudinis iugum, & geminæ ad latera Turres, quanuis altera nondum sustulerit verticem, suprema sunt ornamenta fastigij.

Intus quadrata Ædes ca-

pa-

paciſſimum ſinum expandit. Quatuor in medio ingentes Pilæ, quæ ſingulæ binas in interiori parte Columnas ex Porphyretico lapide ſupra marmoreas baſes attollunt, quatuor ſuſtinent maiores Arcus, quibus innititur circumacta in orbem eminentior Teſtudo. Ad ſingulos Ædis angulos minores alij fornices minora complectũtur Hemiſphæriola, eo concamerationis ordine, vt quàcunque oculos vertas, nouam vndique Templi faciem ſpectes, & aliqua ſemper Ara ſit in proſpectu. Tria in fronte Sacella totidem Ianuis occurrunt: maximum mediæ; minora duo, alterum dextræ, alterum ſiniſtræ. To-

tidem ad vtrunque Templi latus numerantur; quorum quæ media sunt, maiori amplitudine laxantur, & fornicem altiùs attollunt. Singula verò lapidum varietate signis, tabulis, egregia Sculpturæ, Plasticæ, ac Picturæ opera excellunt. Sacellum Princeps, quasi aliam Ædem, quadratam eam, ac peramplam efformat; cui Tholus impendet, hinc inde Arcubus definitus. Ab Aræ tergo protenditur capaci ambitu Chorus, leniter desinens in Hemicyclium. Uniuersim Templi structura Ordinis est Corynthij, ad cuius leges in Stylobatis, Epistylijs, Zophoris, alijsq; ædificij membris profusior emicat Artis luxus.

Cæterum minutim perſequi ſingula, in Templo ſpectanda, huius loci non eſt: vt radiantem gemmarum copia Suggeſtum; duo ad ſacræ Pœnitentiæ miniſterium Sedilia, marmore, ac ſelectioribus lapillis, reliqua cælaturis pretioſa; atque alia id genus, quę ad huius Deſcriptionis finem minus conducunt: cum eò ſolùm ſpectet, vt, dum picta explicamus, intelligat Lector, vbi ſint picta.

Sacelli Maximi Picturæ.

CAP. III.

SAcra hic panditur Scena, quæ iucundo non minus,

quàm pio ſpectaculo detinet ſubeuntes. Ingentis proiecturæ Coronicem, quæ circumfertur in Templum, exeuntibus in folia Capitellis, ſuſtinent Pilæ, in quibus marmorum maculas ita mentita eſt Ars naturæ imitatrix, vt oculos fallant. Infra Coronicem ſex Tabulæ temperatis oleo pigmentis parietes ornant; reliqua Pictura recenti calce impreſsà. Ficta coloribus Tabularum Coronamenta, Anaglypha, Trophæa, Encarpi, aureis luminibus irradiant. Quidquid autem in Templo eſt aut pictæ Architecturæ, aut Plaſtici operis, pari ſplendore collucet, auro interdum ex æris vmbra viuidiùs fulgu-

ran-

rante. Sed antequam Picturis oculos pascas, Lectorem te priùs volo, quàm Spectatorem. Vbi desinunt marmorei Cancelli, Aram claudentes, hinc inde patent ostiola, supra quorum supercilia inscripta haec leges, tanquam in antiquo, rudique lapide incisa.

Olim Martyri Carcer.

Nunc Diuo Templum.

Quæ te admonent de vetustissima loci sanctitate. Ibidem enim, vbi subtus Aram maximam inferior nunc Cella est, fuisse colligimus Carcerem Zebedæum, D. Alexandri vinculis venerabilem. Hæc vbi legeris, iam oculos in Tabulas verte.

Tabula prima.

Minor hæc Tabula, quam ſpectas in fronte ad læuam, armatum refert Heroem; ſed qui plus placidæ maieſtatis habet, quàm Martiæ toruitatis. Hic nudis pedibus vndas premens, attamen proceri corporis, & armorum pondere non mergitur. Pius nimirum hic Miles eſt, alienæ ſalutis auidus, non ſanguinis: Alexander inquam, Chriſti Vexillarius, qui eiuſdem Crucis ſigno, cuius cultum Populis affert, ſibi ſubdit inconſtantius elementum; & ſine nauigio fluuium Adduam traijcit pedes: quaſi diuino confirmatus promiſſo, quod Pi-

Picturæ ſubeſt, è Propheta deſumptum.

Cum tranſieris per aquas, tecum ero. Iſa. 43.

Secunda.

PAr altera ad dexteram Tabula breui ſpatio complectitur Hiſtoriæ prolixioris compendium. Miles Apoſtolus Bergomates, ab inanium Deorum cultu auocatos, Chriſtiana pietate inſtituit. Ille concionantis inſtar aliquot ante ſe habet Auditores, qui flexo genu Cæleſtem hauriunt Sapientiam: Fractum Idolum, quod iacet ad pedes, proſtratæ ſuperſtitionis teſtimonium eſt. Vbi verò turbæ capax Tabula

bula non fuit, aliquot solum Ciuitatis Proceres induximus, qui Alexandri doctrinam secuti Ciuibus suis sanctitatis facem prætulére; quales fuerunt Lupus, Grata, Hesteria, & alij, quos Bergomatum Ecclesia veneratur Thebæi Martyris alumnos: subscripta sententia.

Labia iusti erudiunt multos. Prou. 5.

Tertia.

DVæ maiores Tabulæ in Sacelli latera extenduntur. Hæc ad læuum latus mirabili argumento spectantium excitat attentionem. Ad erudiendos Euangelica veritate

Po-

Populos Alexander cum Socijs Nouocomum tendens, non procul ab Vrbe, Mortuum, qui celebri pompa efferebatur, diuina virtute reuocat in vitam. Stupet ad rei nouitatem circumstantium turba: attoniti hærent Libitinarij, & qui cum feralibus tædis comitantur exequias. Recepto interim spiritu Mortuus assurgit è capulo, ita etiam Pictoris arte animatus, vt membrorum macies, & pallor cadauer exprimant rediuiuum. Iam reddita luce suum liberatorem agnoscit, & elatis in Cælum manibus Vitæ Auctorem adorat, factus deinceps eiusdem celeberrimus Præco. Nunc autem,

quod

quod pictus dicerè non poteſt, Epigraphe loquitur.

Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem &c. Pſalm. 9.

In ſupremo Tabulæ ſtemmate fictum coloribus æreum Numiſma, in quo Ezechiel oſſa arida excitat ad verbum Domini audiendum.

Supra Sacelli Coronam ad Feneſtræ latera duo Sacri Heroes, Dauid, & Sampſon, ille Philiſtæi Gigantis caput, hiç Leonem calcat occiſum.

Quarta.

GRandior alia è regione Pictura inſigne facinus explicat Fortitudinis Chriſtia-

ſtianæ. Ad publicum Sacrificium, quod Mediolani Maximianus indixerat, eiuſdem iuſſu productus Alexander, vt profanis Numinibus immolaret, Idola, & Sacrificij apparatum calce diſiecit. Eminet in altiore Specula Cæſar cum Aulæ miniſtris. Parata inferiùs Ara cũ Signis Deorum, Tripus cum foculo, & libaminum Vaſa. Adſunt Sacrificuli, & Popæ cum victimis. A tergo Alexandri ſtant ferro accincti Satellites, vt ſi Romani Imperij Numina contemnat, ſanguine diluat iniuriam. At ille ſacrilegium execratus, impacto in Aram pede fictitios Deos proſternit. Fruſtra furit iratus Cæſar:

fu-

fugiunt deterriti Myſtæ; nec vllus e tot armatis cum fortiſſimo Numinum euerſore congredi audet: cuius magnanimæ Religioni meritum adſcripſimus Encomium.

Et aram deſtruxit, & zelatus eſt legem. Machab. l. p. cap. 2.

In apice Tabulæ pictum ex ære Numiſma exprimit Idolum Dagon ante Arcam Domini truncum, & dilapſum in fruſta.

Ad imminentis Feneſtræ margines, hinc pius Ezechias clauam ſtringit in Idola, quæ fracta peſſundat; inde Othoniel nudato enſe, quaſi recens à victoria, ſubactum premit Syriæ Tirannum.

Quin-

Quinta.

Egredientibus è Sacello duæ minores Tabulæ ſe offerunt, primis duabus æquales, quas habet paries aduerſus.

Prior ad dexteram monumentum eſt vigilis tutelæ, qua D. Alexander Cultorum ſuorum proſpicit incolumitati. Qualem illum hic vides, diſtricto ferro minitantem armato Duci, talem videndum noctu ſe præbuit hoſtilium copiarum Præfecto, qui obſeſſum Bergomum in vltimum ferè diſcrimen adduxerat, mortemque interminatus, niſi Vrbem, patrocinio ſuo commen-

mendatam infesta obsidione solueret, ab irruptionis, direptionisque consilio deterruit. Vbi ergo deerant auxiliares manus, adfuit Alexandri subsidium; vbi tormentis quassata Mœnia corruerant, ipse fuit pro Vallo. Immò sacrum Martyris Corpus, quod pia Bergomatum Ciuitas veneratur, datum à Deo est, idemque firmissimum in aduersa munimentum; quamobrem huc diuina illa traduximus ad Hieremiam verba.

Dabo te Populo huic in murum æreum. Hier. cap. 15.

Sexta.

ALtera in exitu Sacelli ad læuam Tabula venerabile Martyris noſtri Sepulcrum oſtendit, cui Carolus III. Imperator procumbens in genua pretioſam offert Coronam, auro, gem̃iſque inſignem. Is quippe grauiter afflicta, & iam prope deſperata valetudine, cum nil proficerent humana remedia, confugit ad Cælum; vnde inuocato ad ſalutem inſtaurandam Alexandro, poſtmodum voti compos illius Templum inuiſit, ac Tumulum piè veneratus dignum Cæſarea magnificentia donarium appendit, vt grati animi pignus,

&

& accepti beneficij teſtimonium perenne. Factum innuit pendens, è ſepulchri cancellis breuis Inſcriptio. D. ALEXANDRO MARTYRI CAROLVS III. IMP. VOVIT. Picturam claudit Epigraphe.

Erit Sepulcrum eius glorioſum. Iſa. 11.

Hæc circum Sacelli parietes. Aſt impendens Aræ maximæ Tholus Gloriam explicat Alexandri, poſita mortalitate, triumphantis. Ille igitur puriſſima luce circumfuſus in radianti nube, tanquam triumphali curru, Angelorum miniſterio euehitur; quorum vnus vexillum explicat, candido Lilio inſignitum; hoc enim Vexillario noſtro pe-

peculiare Symbolũ fuiſſe tradunt Hiſtoriæ Thebęæ Scriptores. Triumphum comitatur diffuſum per Tholi orbem Martyrum Agmen. In inferioribus angulis alati Cælites erigunt pro Trophæis inſtrumenta Martyrij, compedes, catenas, virgas, flagella, faſces cum ſecuri, & gladium: vt conſtet coronari patientiam.

Margines Arcuum, qui Tholum includunt, expreſsæ Figuris Alexandri Virtutes adornant.

Gemini Arcus ad Sacelli latera, vbi Figuras admittunt, egregijs Picturæ coronamentis ex Artis ingenio diſtinctas, alios exhibent Legionis Thebęæ Sanctos Milites, præſertim

tim Signiferos. Esuperius Vellus aureum gerit, totius Legionis Insigne; Innocentius Crucem albam; Mombottus Taurum; Constantius plicatum Vexillum, latente hactenus illius nota. Hos Angeli volitantes cum palmis, & laureis ad triumphi participationem post certamen inuitant. Ideò quà se demittunt in Coronicem Arcus, inscriptæ diuisim hinc inde sententiæ.

Sicut socij Passionum,
Sic & consolationis. Ad Corinth. Ep. 1.
Modò coronantur,
Et accipiunt palmam. Esdræ lib. 4.

Pi-

Picturæ Chori.

CAP. IV.

PSallentium ſedes, non vulgari cælaturæ opificio ſpectabiles, Chorum inferius obambiunt; ſupra quarum faſtigium ſurgentes Pilæ parietem in quinque diuidunt ſpatia, eaq;totidem complectuntur Hiſtorias, elegantiſſimis Picturæ Parergis coronatas.

Hiſtoria Prima.

MIſſis à Maximiano Satellitibus vltrò D. Alexander occurrit, iuſſis interim ſubſidere in interiori nemore

Socijs. Inuandentium gestus, & ora spirant ferociam. Alij ex insidijs adorientes à tergo vincula expediunt: alij à latere insultantes Captiuum exarmant: districtis alij telis minantur à fronte. Ast ille sereno vultu excipit irruentes, & manus tendens innoxias oculos attollit in Cælum, vndè illi securitas, & præsens tutela; cuius fidem subiecimus, olim Hieremiæ à Deo datam.

Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te. Hier. 1.

Secunda.

ADuersus paries obscuram exhibet Cryptam, cuius

vmbras vix temperat languidum lumen, à pendenti laterna demissum. Loci squalor, tum par supellex ferrea Clathra, Compedes, Catenæ Carcerem testantur. Hìc Alexander cum aliquot Socijs in vinculis iacet. Adest cum sacris Ministris decora canitie venerabilis Præsul, qui suauissima oris lenitate Captiuos videtur amicè affari. D. Maternus ille est Mediolanensis Antistes, piorum vincula, quos Tyrannicus furor damnabat, solitus verbo, & opera leuare. Nunc Martyrem Thebæum inuisens confirmat, ac solatur. Sed magis excitat bene conscium animum, cuius libertas nulla pre-

mitur captiuitate, intimus Conſolator, nunquam deſerens in aduerſis iuſtum; quod ſubdito Sapientiæ oraculo confirmatur.

Deſcendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum. Sap. 10.

Tertia.

ANte Maximiani tribunal ſiſtitur Alexander; ibique inter ſacrilegos Myſtas, & Satellites armatos Chriſtianam Religionem conſtantiſſimè tuetur. Cæſar ſuorum Numinum contemptorem torua fronte ſpectat è Solio: fremunt impietatis cultores: lictores minantur. At Maieſta-

ſtatis terrore fortior eſt Fides; ſurda Veritas ad improborum tumultus, ad Tyrannidis minas impauida Innocentia; neque metuit cauſæ ſuæ, quæ Deum teſtem habet, Patronum, ac Iudicem. Addit ſuffragium Prophetæ ſententia.

Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt, qui condemnet me? Iſa. c. 50.

Quarta.

Simulachrum, quod altiori Pilæ impoſitum hic vides, popularis adulationis Idolum eſt; in quo temerè adſcriptam Principi ſuo diuinitatem profana tunc Bergomi Ciuitas

adorabat. Ante hanc Aram funeſtum erigitur Pegma, in quo victima cadat Alexander. Ille circunfuſa ſpectantium turba Carnificis gladio generoſam ceruicem ſubmittit: ſed flexo genu ita vultum, manuſque componit, vt liqueat illi eſſe in votis ſupplicium ſuum. Claudit lumina non tam mortis neceſſitate, quàm ſuperſtitionis horrore, illius conſpectum auerſatus, cuius cultum vitæ diſpendio damnauerat; ſubſcripto dignus Elogio.

Glorioſiſſimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens. Machab. lib. 2.

Quinta.

VLtima in Chori ambitu Pictura, quæ à limine Templi prospicientibus Aræ maximæ Tabula videri potest, subijcit oculis Martyris funus. Truncum in linteo Corpus Seruorum humeris, recisum in strophiolo Caput Ephebi manibus defertur ad Tumulum, in Horto Gratæ, Principis, & piæ Matronæ paratum, quæ cum socia Hesteria, & Famulis occurrens miratur, quàcunque fluunt è sacro Cadauere sanguinis guttę, repentinos flores enasci. Non auget funeris pompam atratum vulgus; at nobiliores aduolant è Cælo Ministri, vt sine lu-

lugubri mœrore poſtrema ſol-
uant officia. Nil enim triſte
illius exequias decet, qui re-
floreſcit à morte. Quare illius
tumulo inſcribi poteſt Epi-
graphe.

*Quaſi flos roſarum in die-
bus vernis &c.* Eccl.
cap. 50.

Supra Coronicem, quæ
Chorum ambit, fortiores emi-
nent Bellatores, quos ſacræ
Paginæ commendant, per Fe-
neſtrarum latera diſtributi;
Ioſue, Gedeon, Iephte, Io-
nathas, Simon, & Iudas Ma-
chabæi.

In Fornice adornando Ar-
chitecturæ, & Sculpturæ vi-
ces non ſolum egregiè imple-
uit, ſed vicit Picturæ indu-
ſtrius

ſtrius labor. Hic pendentia Trophæa, Symbola, & Figuræ D. Alexandri Gloriam adumbrant. Vbi aliquis aperitur Cæli proſpectus, conuolant Angeli plaudentes, & Muſicis Choris beato Heroi modulantur Epinicia.

Suprema Beatorum Sedes, Picturis expreſſa in maxima Templi Teſtudine.

C A P. V.

VT Sanctorum Omnium Gloriam, quantum aſſequi poteſt humanum ingeniũ, & artis conatus, ordinatim

explicaremus, hìc prius in eminentiori regione collocauimus Sanctissimę Triadis Solium, cuius visione beantur Empyrei Ciues. Circunstant Supremæ illius Aulæ Ministri, quorum alij Crucis vexillum attollunt, & gloriosam modò supellectilem dolorum, quibus Dei Filius nobis promeruit æterni Regni hæreditatem. Alij cum vasculis aureis ex inferiori Orbe ascendentes supplices mortalium preces Diuinæ offerunt Clementiæ: alij descendentes floreos nimbos, impetratæ gratiæ Symbola, demittunt in terras: alij expiatas post exilium Animas deducunt in Patriam: alij cum Principe Militiæ Cælestis Michae-

chaele rebelles Angelos deturbant. Ante Solium Diuinitatis Virgo Mater, & propè Sancta Christi Familia. Hinc ex alijs Ordinibus præstantiores Diui, Apostoli, Martyres, Pontifices, Religionum Institutores, Principes, & confertissimi ex omni genere Beatorum manipuli; vt magna illa Turba spectantibus obuersetur, quam nemo poterat numerare.

Immensam igitur Cælitum Aulam hactenus intra Testudinis Hemisphærium contraximus. Ast vbi murus rectà descendit à Fornice, in Fenestrarum interuallis quatuor mysticas Figuras expinximus, duas ex veteri, duas ex nouo

Teſtamento deſumptas; quæ Cæleſtem Beatitudinem Allegoricè deſignant.

Quæ Templum ineuntibus obuia eſt, magnam Euangelici Regis Cœnam repræſentat, collectitiam Conuiuarum manum per ſeruos compellentis: inſcripto lemmate.

Vt impleatur Domus mea. Luc. 14.

In aduerſa parte Paterfamilias per Procuratorem Operarijs denarium diurnum diſtribuit: impendentibus verbis.

Redde illis mercedem ſuam. Matth. 20.

A dextro latere egreſſus è Mari rubro Populus Iſrael, præeunte Moyſe, & Sorore Maria exultans, Deo liberato-

ri

ri gratias agit, quod innuit Epigraphe.

Ibi lætabimur in ipſo. Pſ. 65.

Ad læuam Saba, cum ſplendido comitatu, magnificam Salomonis Regiam, ac miniſtrantium ordines miratur, & laudat. Supplet illius voces Inſcriptio.

Beati Serui tui. Reg. 3. 10.

Infra vltimam Teſtudinis Coronam in ſubiectis Angulis quatuor glorioſi Corporis Dotes expreſſimus; vt non animos tantum, ſed miſeram etiam mortalitatem noſtram ad ſpem æternæ Beatitatis excitaremus.

IMPASSIBILITAS(ſicTheologi primamDotem appellant, quę ex D.Auguſtino eſt inuio-

la-

labilis immortalitatis munus, *lib. 13. de Ciuit. Dei c. 22.*) Thorace armata, redimito palmis capite, Lanceam dextera tenet, Clypeum ſiniſtra; & Dolorem, ac Mortem triumphali pede conculcat. Illi ſupernè inſultant alati Puſiones: in hanc è fracta pharetra ſagittas retorquent. Picturam explicat ſubiecta ſententia.

Mors vltra non erit, neque luctus. Apoc. 21.

SVBTILITAS peruiam radio Criſtallum ſuſtinet. Proximè volantes Puelli per diaphanum vitrum tranſmittunt obtutus. Pictus infra pro Symbolo ſtillatorius Clibanus, additis Apoſtoli verbis.

Surget Spiritale. Ad Cor. 1. 15.

AGI-

AGILITAS, alata Virgo, toto corpore vibratur in altũ. Circũ eam ludunt pennati Cęlites, Aquila inferius volitante. Inſcriptum in baſi lemma.

Current, & non laborabunt. Iſa.40.

CLARITAS, quaſi Mulier amicta Sole vndique irradiat, mirantibus eximium lumen Cælestibus Ephebis, alijs verò in ſubiectam, fugientemq; noctem fulgetra vibrantibus. Additum ex Euangelio Teſtimonium.

Sicut Sol in Regno Patris. Matth. 13.

Singulis Angulis inferiùs Intercolumnia reſpondent, in quibus (ſi vnum excipias, è quo prominet Suggeſtus) tria emi-

emicant, ficta ex ære, Numiſmata; eaque triplici Myſterio Transfigurationis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Glorioſi Corporis Dotes confirmant.

BEATORVM ORDINES In quatuor maioribus Templi Arcubus picti.

CAP. VI.

PRincipi Sacello viciniorem Arcum Sanctis dedimus Euangeliſtis, qui tradita literis Diuini Magiſtri doctrinã certam nobis ad cęleſtem Beati-

ti-

titudinem viam aperuere. Singuli ſuis Symbolis diſtinguuntur. At ſublimior cæteris Ioannes, myſtica nimirum Aquila, ſupernam Hieruſalem proximius intuetur, inter Cælitum agmina præfulgentem, qualem è terris viſam olim deſcripſerat. Dictauit ipſe pendentem ab Arcus margine ſententiam.

Qui vicerit poſſidebit hæc. Apoc. 21.

In oppoſito Arcu eminent Sacri Doctores, qui Grecam Latinamq; Eccleſiam illuſtrarunt. Alios Mitræ, ac Thiare inſigniunt, alios geſtata Superum manibus volumina. Iacent ad pedes, tanquam icti fulmine, Impietatis Aſſertores.

res. Impendent capiti Angelorum cætus, qui laureis, & oleis coronandæ Sapientiæ ſtemmata intexunt. Piorum, Doctorumq; Virorum merita Euangelica Veritas Elogio ſuo commendat.

Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum. Math. 5.

Proximus Arcus ad dexteram veteres habet Patriarchas, expectata gloria lætantes; vt docet Inſcriptio.

Expectatio Iuſtorum lætitia. Prou. 10.

In quarto ad lęuam Arcu pictus Prophetarum ordo ſpectat iam facie ad faciem, quę viderat per ſpeculum, & in ænigmate; quod innuit lẽma.

In-

In lumine tuo videbimus lumen. Pſal. 35.

Inſigniores Patriarchæ, ac Prophetæ peculiares habent notas, quibus diſtingui à Spectatoribus non prorſus ineruditis poſſint; neque eſt, cur hìc ſingulis enumerandis immoremur.

Sanctorum Chori ad quatuor Templi Angulos.

CAP. VII.

Ad Angulum primum.

IMminens Tholus, & contigui fornices Gloriam explicant Innocentium. In Tholi

li centro Puer Iesus erigit Crucis Insigne. Circunstant, immixti Angelis, trucidati ab Herode Infantes, palmis colludentes, & coronis. Vtrinque pusilli alij Heroes, quos præcox Martyrium intulit Cælo, cum suo Duce triumphant; vt monet Epigraphe.

Hi sequuntur Agnum. Apocal. 14.

Egregias Puerorum Dotes in Tholi Angulos distribuimus.

BONA INDOLES, redimita flosculis Puella, & bonæ spei argumentum vestis virore prætendens, Heliotropium sustinet, natiuo genio erectum in Solem.

PIA EDVCATIO, Nutricis ha-

habitu, altera manu Infantem ſtringit ad vbera; altera erectam Chriſti Domini è Cruce pendentis effigiem oſtendens Pietatem cum lacte inſtillat.

INNOCENTIA, tenerum Agnum fouens in ſinu, illibatum candorem Lilij geſtamine profitetur.

SIMPLICITAS, infans Virgo, ingenua vultus hilaritate cordis refert ſinceritatem. Sine vllo crinium, ac veſtium cultu, puro induta lino, intuentibus aperit dexteræ volam; album, ſine vllis notis, folium explicat ſiniſtra.

Ad secundum.

SAnctarum Virginum Chorum hìc vides, ad Sponsi Cælestis nuptias admissum. Antesignana in medio Vrsula vexillum explicat pudicitiæ Virginalis, & frequentes hinc inde Comites ad gaudium excitat Euangelicis verbis. *Ecce Sponsus venit.* Math. 25.

In quatuor Tholi Angulis, totidem Virginum Virtutes.

PIETAS in Deum, Cælestem ardorem oris, & amictus, purpura præseferens, aperit sinum, ignito iaculo transuerberatum.

VIGILANTIA, Corporis gestu, & cultu ad alacritatem composita, oleum lucernæ,

quam

quam gerit accenſam, infundit.

MODESTIA velum demittit in frontem, ac tunicæ interioris pretium viliori amiculo tegit.

MANSVETVDO, vultus lenitate, & Columbæ Symbolo ſe ſatis intuentibus declarat.

Ad tertium.

QVOS hìc pinximus in Superum Aula beatos, olim Solitudinis latebræ tenuere, humanæ ſocietatis expertes. Anachoretæ ij ſunt, qui de ſqualore Deſerti ad Empyrei aſcendere delicias. Primus eorum Auctor Paulus medium tenet, ab Angelis euectus.

Hinc

Hinc plures eiusdem sectatores instituti vtrinque habet eiusdem Gloriæ consortes. Subsunt Imagines Virtutúm, quibus Heremi cultores æternam felicitatem meruere.

SOLITVDO, Anus retorrida, in villosa, laceraque veste, precarios globulos manu versans, rudibus arborum truncis contextam Crucem adorat, iacente ad pedes Fera Syluestri.

ABSTINENTIA, pressis manibus sedens, inter hydriam, & collectas in viminea cistula herbarum radices, oris macie testatur inediam.

TACITVRNITAS, graui, tristique fronte, caluam altera manu premens, alterius Indice

dìce ad os erecto, muti ſignum Harpocratis imitatur.

ORATIO, ſiue pia Precatio, oculis; ac manibus in Cælum elatis, emicante ſupra verticem flamma, ſpirare vidètur immiſſum ab alto feruorem. Hinc fumans Acerra, inde apertus Precum Liber, vniendum indicant Oranti cordis, oriſque, conſenſum.

In finitimo Pariete Prodigum Filium reducem pius Pater amplectens, pannoſum, ac ſeminudum, ſplendidè veſtit. In imminenti fornice aduolantes Angeli ſuſtinent lemma.

Proferte Stolam primam.
Luc. 15.

Ad quartum.

VLtimò ſuccedit Pœnitentium Fœminarum Chorus. Cæteras præit, vt exemplo præſtantior, ita loci dignitate ſublimior, Magdalena; quæ velut impetu Diuino in Cælum rapta ſequentes inuitat. Plures eiuſdem notæ Mulieres per Tholi ambitum, & finitima latera, diſtributæ, quæ dilutis vitæ ſordibus a nequitiæ infamia euaſere ad Gloriam Sanctitatis.

Subiectæ Choro Virtutes, delendis Culpis aptiores.

POENITENTIA, diſciſſo crine, ſolutiſq; in lachrymas oculis pectus dextera tundit, peſſundato inferiùs Colubro, qui

reuo-

reuolutus in ſpiras, erecto vertice, fatale Pomum oſtentat.

HVMILITAS ſequitur, quã priſcæ Latinitatis cultores dicere malunt animi demiſſionem. Ego tamen à Sacris paginis, & SS. PP., haurire non vereor Euangelicæ Virtutis nomen, Ethicis, ac Ethnicis prorſus ignotæ. Hoc ſanè loco ſic eam cenſeo appellandam. Humilitas igitur demiſſo vultu, adductis ante pectus in decuſſim brachijs, pendulum funem à ceruice demittit, & Symbolum ſuperbiæ Leonem calcat.

PATIENTIA, nudos vepreto pedes innexuit: digitum ſuſtinet ardenti faculæ impo-

ſitum, ea vultus temperie, vt notas doloris, & conſtantiæ immiſceat.

MORTIFICATIO (ita ſcueram Virtutem, Cupiditatum domitricem, & vindicem ex Religionis noſtræ vocabularijs nuncupamus) fræno, & flagellis manus armauit; vt ſenſus rebelles coerceat, ac plectat.

Vicinus Paries Euangelicam Paſtoris Parabolam exprimit, qui errantem ouiculam refert ad gregem. Impendet Angelicis manibus explicata ſententia.

Ita gaudium erit in Cælo. Luc. 15.

Po-

CAP. VIII.

ANtequam Templo efferas pedem, media exiturus Ianua, oculos tantisper attolle. Ad Fenestræ margines, quæ imminet maximæ Coronici, duas videbis Heroinas, humana specie maiores. Altera *GRATIA* est, altera *GLORIA*.

GRATIA, decora pariter, ac venusta facie spectabilis Virgo, floreo stemmate coronatur. Subiectum Orbem pedibus premit, vt quæ omni præstat ordini Naturæ. Depluum è sereno Cælo rorem concha excipiens effundit in

ſolum; vnde amœniſſima florum ſeges progerminat, inter quos ludunt Cæleſtes Amores. Illius quippe irrigatione vernat arida ſecus, ac ſterilis, hæc noſtra Terra, & flores gignit, beato inferendos Elyſio.

GLORIA maieſtatem oris cum placidiſſima tranquillitate componit; ac ita infixis hæret in ſuperum lumen pupillis; vt oſtendat ea ſe viſione beari. Si coronam, & auream cycladem ſpectes, agnoſces Reginam. Pedi ſubeſt quadrata baſis, argumentum, & fides firmitatis inconcuſsæ. Stabile ſiquidē illius ſoliū eſt, ET REGNI EIVS NON ERIT FINIS. Præſtò ſunt ad imperantis nutus alati Miniſtri, cum luculenta

lenta ſupellectile honoris. Varias ex Palmis, ex Lauro, ex Lilijs, & Roſis Corollas geſtant, vt pro meritis beatas frontes adornent.

Vt verò ſcias, quàm ſublimi nobilitate præcellant hæ germanæ Heroinæ, vtraque ſe Dei donum gloriatur, citato Regij Pſaltis teſtimonio.

Gratiam, & Gloriam dabit Dominus. Pſal. 83.

atque ita intelligis, à quo expetenda ſit Gratia, à quo expectanda ſit Gloria.

Denique Templi Picturam claudit Angelorum Chorus, impendens Muſicorum Odæo, quaſi humanis concentibus Cæleſtem miſceant harmoniam. Immò canentes, pſallentes,

lentes, precantes, omnes tandem ad Diuinas laudes inuitant, inſcripto Pſalmi verſiculo.

Omnis Spiritus laudet Dominum. Pſal. 150.

Vtinam ita Cælitum Regem, & linguis laudemus, & animis, *almæ Sionis æmuli*; vt eam, quam pictam hic meditamur, Gloriam aſſecuti hymnum illi perennem cum Beatorum Vniuerſitate cantemus.

FINIS.

INDEX

CAPITUM.



IN-

INDEX IMAGINUM,

quibus exprimuntur Virtutes.

FINIS.